

THEOBALDV BAPST IVRECONS VLTVS FRI-
burgensis.



Theobaldus honestis parentibus natus, à pueris operam literis dedit, & prima rudimenta facile percepit. postea sese ad Friburgensem Academiam contulit, atq; Iurisprudentiæ præclaram operam nauauit. In primis autem Ius Canonicum arrisit, atque Decretorum lectionem sibi familiarem reddidit. Itaq; Iuris Doctor magna solennitate creatus fuit. Erat Theobaldus pietate & prudentia conspicuus : itaq; inter Friburgenis Academiæ professores receptus, magna laude diu docuit, atq; uitæ integritate & consilijs omnibus studiosis plurimùm profuit. Quin etiam saepius eius scholæ Rectoratum gubernauit, & ut ritè omnia administrarentur author fuit. Inter alios amicos etiam Huldricum Zafium seniorem habuit, qui eius ingenio delectatus, in tractatu Substitutio- num cap. i. in secundo casu, tertij effectus, eum plurimùm omnibus commendauit. Cum hoc modo Theobaldus suis uirtutibus magnam nominis estimationem sibi comparasset, tandem senex, grassisne ubiq; peste, ea lue corruptus, Anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Friburgi obiit, atq; honorificè sepultus fuit. In huius uiri obitum M. Ioannes Thomas Frei- gius Elegiam scripsit, atque ad me Basileam transmisit, quam hoc loco subi- ciendam censui.